



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologōn diaphorōn syngammata palaia kai orthodoxa

Gessner, Conrad

Tiguri, 1560

VD16 G 1810

Reverendissimo D. Antonio A Granvella, Episcopo Atrebatensi, Petrus
Nannius S. P. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72021](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72021)

REVERENDISSIMO D^{no} AN-
TONIO A GRANVELLA, EPISCOPO A-
trebatensi, Petrus Nannius S. P. D.



ERIVS quidem quàm uolebam, non tamen importunè tibi libellum de resurrectione mortuorum offero. Paschales enim feriæ, quibus Christus resurrexit, primitiæ dormientium, solennem habent de resurrectione tractatum: adeò ut quod fortuitò factum est, consilio procuratum uideri possit. Non iniquus igitur hac in parte sum meis istis perpetuis negotijs, quæ mihi hanc comperendinationem attulerunt: quanquam aliàs ea satis molestè ferre soleo. Non hîc me uenditio de laboribus: id tantùm dico, ludum iocumq; esse cætèra, præut est in philosophis uertendis operam fumerq;. Habent ipsi suam phrasin etiam in Græcæ lingua à cæteris scriptoribus diuersam, & à uulgo abhorrentem: tantum abest ut cû Latino sermone conueniant. Hinc est quòd tam pauci philosophos transferunt, atque inter eos qui transfulerunt, paucissimi probètur. Nobis præter ista incommòda id quoque molestiæ fuit, quòd hic noster Athenagoras non in philosophicis rebus, sed in altissimis Christianitatis misterijs philosophetur: ut qui eum aggrediatur, non minus cum peritissimo theologo, quàm prudentissimo philosopho negotium habeat: idq; in re grauissima, nimirum defunctorum corporum resurrectione, de qua cardo ac summa totius Christianæ religionis pendet. Nobis porrò non nisi unicum exemplar fuit, à doctissimo quidem uiro descriptum, sed tamè non paucis uitijs infectum: nec mirum, non enim meliora mihi poterat tradere, quàm in archetypo inuenerat, quod unum superesse aiunt in uniuersa Europa. Utinam qui nostra legent, Prius Græca inspiciant, ut ipsi suapte experientia cognoscant quàm difficile sit huius philosophi linguam intelligere, atque, ubi intellexerint, ita in Latino idioma refundere, ut nec Græcitatibus peregrinitas, nec philosophicæ spinositatis asperitas appareat: sed obuium quiddam habeat & attemperatum uulgi ingenijs. Nihil mihi tale arrogo, sed me id conatum fuisse non dissimulo. Hermolaus certè ea omnia ad amussim præstitit. hic enim philosophos aliquot cû pauculis scholasticis in diatriba murmurantes in forum & in publicum protraxit, ac luci assuefecit. Cæterum inter elucubrandum semper mihi laborem mitigauit recordatio tui, cogitanti id operis summo uiro desudari, cui non minus Ecclesiæ negotia, quàm Cæsariarum rerum curæ incumbunt & foeliciter inniuntur. Non sentit faber, aut, si sentit, sine animi ægritudine lassitudinem transmittit, quum corona principi suo excudenda eum in labore occupatum tenet. Nec Nannius eam fatigationem duram existimauit, quæ mæccenati suo impenderetur in bello uere aureo, & super omnium gemmarum pretia æstimandæ. Hic enim refutantur omnia quæ resurrectionem ambigam faciunt: afferuntur ea quæ incredulis hominibus uelint resurrectionis fidem infigant. Non enim hic Athenagoras noster uerisimilibus agit, quæ pronitatem credendi, non necessitatem habeant: sed omnia demonstrationibus communit, omnia inexpugnabilibus rationibus instruit, ut nihil habeat ceruicosa Gentilitas quod opponere possit. Accipe igitur eruditissime & religiosissime præsul, eum libellum qui de basi ac fundamento totius Christianitatis foelicissimè disceptat, ac Nannium ut soles tua propitia beneuolentia foue. Louanij,

13. Calendas Maias, An-

no 1541.